



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

X. Argumentvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

ut: David non iudicet se abiectum esse à Deo, etiamsi est expul-
sus a regno. Achab non iudicet se placere Deo, etiamsi est rex potens &
glor. Sed David iudicet ex verbo Dei, se placere Deo, quanquam
iudicet se displicere Deo, etiamsi est rex potens & gloriosus, quia
dicitur: Dominus abstulit peccatum tuum. Achab
iudicet se displicere Deo, quanquam est rex potens & gloriosus, quia
dicitur: Maledictus omnis, qui facit idolum, quod est abomina-
tio Deo.

P E R S P I C V M est igitur, dictum Salomonis pro-
prie congruere cum nostra sententia, quæ iubet de voluntate Dei ex
verbo iudicare. Nec difficile est copiose refutare enarrationes Papi-
stiarum. Insaniunt enim, si hoc dicunt, non scire homicidas & adul-
teros, an sint digni odio Dei. Manifeste igitur apparet, ipsorum in-
terpretationem esse terram corruptelam.

S E D regula vniuersalis
teneatur: De voluntate Dei ex verbo ipsius iudicandum esse. Et
verbum Dei vniuersaliter omnes damnat, qui non sunt conuersi ad
Deum, iuxta dicta 1. Cor. 6. Nolite errare, idololatæ, homicidæ,
adulteri, &c. non sunt hæredes vitæ æternæ. Item: Qui non credit
in filium, manet ira Dei super eum. Rursus vniuersaliter recipit De-
us omnes, qui in conuersione seu pœnitentia credunt in filium, iuxta
dicta: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut con-
uertatur & viuat. Item: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum
unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat
vitam æternam. Hæ regulæ summæ semper in conspectu sint, quæ
valis alijs sententijs lucem afferunt.

X. ARGUMENTVM.

Cum dictum sit: Delicta quis intelligit, Nemo potest omnia
sua peccata scire,

Ergo possibile est, hominem habere delictum ignotum, pro-
pter quod displiceat Deo,

Quare non est affirmandum, quod placeat Deo.

R E S P O N D E O. Nego consequentiam, & ratio est, quia firmiter
retinenda est regula: Omnis conuersus ad Deum, recte tenens
fundamentum, debet credere, se placere Deo, etiamsi habet delicta
ignorantia, sicut in omnibus hominibus magna hæret infirmitas. Ac
propterea traditur doctrina de remissione propter filium, iuxta di-
ctum: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum testæ sunt
peccata. Quia in nobis non est integra impletio legis.

XI. ARGUMENTVM.

Nemo placet Deo, nisi habens nouas virtutes, ortas à Spiritu
sancto,

Nemo potest affirmare, se habere illas virtutes, quia possunt
esse virtutes similes ortas à ratione,

Ergo nemo potest affirmare, se placere Deo.

R E S P O N D E O.